



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

CL. Traditio filij ad monasterium Conchense in dioecesi Ruthenensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

Petri præscripti in die sanctæ Margaritæ. Nos verò præscripti donatores cum prædictis omnibus rebus hunc filium nostrum tradimus & donamus Domino Deo & sancto Petro coram testibus, ita ut ab hac die non liceat ei collum excutere de sub jugo regulæ, sed magis ejusdem regulæ feliciter se cognoscat instituta servare & Domino cum ceteris gratanti animo militare. Et ut hæc nostra traditio inconvulsa permaneat, sub jurejurando coram Deo & sanctis omnibus quia nunquam per nos, nunquam per suffectam personam, nec quolibet modo per rerum nostrarum facultatem, aliquando egrediendi de monasterio tribuamus occasionem. Et ut hæc petitio firma permaneat, manu propria subter firmavimus & bonis viris adfirmate rogavimus. Facta hæc donatio vel traditio 1111. Idus Julij anno ab incarnatione Christi 12111. post millesimo, anno verò quarto Philippi Regis. S. Poncius Comes, S. Adalez Comitissa, qui hunc filium nostrum Petrum tradimus cum prædicta hereditate & quantum ibi habemus vel habere debemus pro qualicumque voce Domino Deo & sancto Petro præscripto coram testibus. Quod si nos donatores hanc donationem irumpere voluerimus, nil nobis valeat, sed componamus prædicta omnia in duplo prædicto cœnobio, Petrus Presbyter. Ræmundus Vgo. S. Bernardus Gausfredus. S. Bernardus Boni filij. Petrus Lobaton. Guillelmus Oliba. Adebrandus Presbyter & monachus, qui hanc traditionem vel donationem scripsi & subscripsi die & anno quo supra.

C L.

Traditio filij ad monasterium Conchense in diœcesi Rastellenfi.

Ex chartulario monasterij Conchenfis cap. 123.

IN Dei nomine. Ego Deusdet Terondellus red-do & commendo Petrum filium meum Deo & sanctæ Fidi & Petro Arnaldo monacho ut teneat & nutriat illum usque ad decem annos; & propter hoc cessarium unum, qui exit mihi de unoquoque modio quem monachus sanctæ Fidis habuerit de quinque condaminis de Clauuiacho, dono & laxo & sanctæ Fidi & monachis ejus usque ad decem annos. Et post decem annos, de duabus condaminis quas monachus sanctæ Fidis elegerit dono sanctæ Fidi & Abbati Begoni & monachis tam presentibus quam futuris illum unum cessarium qui exiebat mihi de unoquoque modio. In tali convenientia ut monachus qui tenuerit Clauuiacom, prædictum filium teneat in domo sua, ut illi semper seruiat sicut homo proptius suis. Et si utilis fuerit, faciet illum ordinare ad Presbyterum. Et quando voluerit, faciat illum monachare in monasterio. Et si post decem annos filius meus monachis sanctæ Fidis noluerit seruire & habitare cum illis, nihilominus ille meus cessarius remaneat monachis sanctæ Fidis. Si verò infra prædictos decem annos, qui accipiunt terminum in Missa sancti Iuliani, filius meus mortuus fuerit, meus cessarius, qui exit mihi de unoquoque modio de una condamina quam monachus elegerit, remaneat semper sanctæ Fidi in dominio. Facta charta

Tom. II.

mensis Augusto, feria secunda, regnante Philippo Rege Francorum.

C L I.

Adalberti Archiepiscopi Hammaburgensis epistola ad Fulconem Abbatem Corbeiensem.

A Sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis Legatus, necnon universarum septentrionalium & orientalium nationum Archiepiscopus, Hammaburgensis quoque Ecclesiæ provisor indignus, F. excellentissimo Patri fidelem orationem & perpetuam dilectionem. Geminas, Patrum sanctissime, immo jugiter in Christo amande, causas esse conspicio, quibus persuadentibus amicitiam tuam pariter & fidem diu optatam jure expetimus. Te enim nobis non modo incremento non indigens, verum merito cunctis imitanda virtus tua conjungit & copulat, sed & locorum nostrorum vetus nos concordia indissolubili nodo alitrinsecus ligat: quia sanctissimus patronus noster Ansgarius vobiscum conversatus, divina disponente clementia nostræ sedis primus est inthronizatus Archiepiscopus; qui & verbum vitæ nostris partibus intulit, & universitatem Fresonum, Danorum, Sclavorum, Norvegorum, Sueonum, cum curis innumerabilibus ad fidei sacramenta prædicando convertit. Quæ quidem apud vos scripta, vobis credimus esse notissima. Igitur tantum patrem inter nos medium ponimus, & ferus perpetualiter observandum tecum inimus, rogantes ut nostri nostrorumque fraternitas & memoria vestro in loco habeatur, & vestra similiter memoria apud nos idem fortiat. Quod quidem facientes, nobis nostrisque temporibus celeberrimum quid attribuimus, quæ tanto fidei & concordie bono insignia reddimus. Nuncium tuum in proxima æstate nobis dirigit; per quem & cætam omnia hæc, scilicet alternam memoriam & fraternitatis titulum, continentem destinare memento. Per ipsum autem reliquias tibi ejusdem sancti patris nostri Ansgarij & translationem mitemus. Vale.

Ex veteri codice monasterij Corbeienfis.

C L I I.

Littere Isarni Episcopi Tolosani quibus Asiliense monasterium sub protectione sua suscipit.

Notum sit omnibus hominibus quod Dominus Dalmatinus Narbonensis Archiepiscopus venit in domum sancti Stephani Asiliensis, & ibi honorifice fuit susceptus. Et dum ipse staret, veniens ego Isarnus Tolosane sedis Episcopus apud præfatum monasterium, multum honorifice ibi susceptus sum. Ibi dum morarer, rogatus sum à jamdicto Archiepiscopo & Abbate atque à cunctis fratribus ut omnia jura & Ecclesiæ ejusdem monasterij, quæ in meo episcopatu sunt, mea auctoritate tuerentur. Quapropter ego jamdictus Isarnus Episcopus amore & honore Dei omnia jura ejusdem monasterij in mea defensione susci-

An. 1076. Ex archivo monasterij Asiliensis.

F F f f f